

didascalicos. Eodem tempore atque in eodem cum Hugone S. Victoris Monasterio vixit monachus Ordinis Canoniarum regularium, Ricardus a S. Victore, cujus extant præclari & devoti plerique tractatus; ejus acumen ingenii cum pietate referentes, una cum libris septem expositionum in Joannis Apocalypsim. Guillelmus Malmesburienſis Monachus Anglus, rerum Anglicarum tum Ecclesiasticarum, tum profanarum cognitioni permultum suis historiis contulit. Gratianus temporibus Eugenii Pape tertii & Conradi Imperatoris tertii claruit, patria Cluſinus, professione Monachus Benedictinus, scripsit in Monasterio Bononiensi Decretum sive concordiam discordantium Canonum, in quo tamen parum cautus in delectu auctorum extitit, quibus sæpe spuria & indigna per ignorantiam, sed non ex mala fide attribuit. Eodem inclaruit tempore Petrus Lombardus Episcopus Parisiensis, qui quemadmodum Gratianus canones, ita & iste sacrorum Theologorum sententias collegit, unde sibi Magistri sententiarum & Theologorum Scholasticorum nomen acievit. In quatuor libris sententiarum hunc servavit ordinem, ut primus sit de Deo Uno & Trino. Secundus, de creatione, de Angelis & hominibus, & de gratia Dei. Tertius de incarnatione Verbi, deque virtutibus & vitiis. Quartus de Sacramentis, & de novissimis, scilicet resurrectione, judicio, & æterna retributione. Otho Frisingensis Episcopus, nobilitate insignis, quippe qui consanguinitate Imperatores proxime attingit, spretis mundi & aula illecebris, Monasticam professus est vitam apud Cistercium, inde factus est Morimundensis Abbas, dein Frisingensis Episcopus, postremoque ad Cistercium mortalis vite dimisit exuvias. Chronicon scripsit ab Orbe condito ad ann. 1146. auctoris pietatem & sapientiam spirans, & de gestis FridERICI I. Imperatoris, cujus ipse patruus erat, geminos libros, quibus duos alios adjunxit Radevicus, Canonicus Frisingensis Petrus Comestor historiam sacram a mundi primordiis ad finem usque libri Actuum Apostolorum. Hallucinantur, qui fratres fuisse dicunt, ex sorto natos, Gratianum, Petrum Lombardum & Comestorem. Certe longe patria distant, Gratianus Cluſi in Etruria natus, Petrus Lombardus Navaræ, Comestor Trevis in Gallia. Petrus Bleſensis Archidiaconus Bathonenſis, qui diu Henrico II. Anglorum Regi familiaris & administrator fuit: & Petrus Cellensis primus Abbas, deinde Carnotensis Episcopus, varios eodem sæculo tractatus & epistolas edidit. Guillelmus Tyrius Archiepiscopus Tyri tribus & viginti libris historiam texuit de bello sacro, exorsus ab anno 1093. & desinens in ann. 1180. Neque desuerunt hoc sæculo Ecclesiastici scriptores Græci. Eusebius & Olympiodorus, Græci scriptores, catenas ex antiquis Patribus composuerunt, ille in acta Apostolorum & in Epistolas Pauli: iste in Job; incertum tamen est sæculum, quo ambo vixere. Euthymius Zigabenus, Monachus, tempore Alexii Comneni, ut ipse initio Panoplia testatur, Panopliam scripsit adversus omnes hæreses. Edidit præterea Commentaria in omnes Psalmos, & in quatuor Evangelia. Joann. Zonaras Monachus, Græcus, tres elucubravat Annalium libros, ab Orbe condito usque ad exitum Alexii Comneni, qui obiit anno 1118. prætereaque Commentaria ad Nomocanonem Photii. Theorianus vir Græcus & doctus, missus fuit ab Imperatore Manuele ad Armenos, ut eos ab Eutythetis erroribus revocaret. Eos quidem tum privatis tum publicis disputationibus convicit, sed gentem pervicacem ab hæresis inolitæ professione minime reduxit. Extat pereruditus ejus dialogus cum Patriarcha, quem generalem vocant, habitus. Theodorus Balsamon schismaticus Patriarcha Antiochenus, sed inde per Latinos extorris, qui Antiochiæ & Palestinæ dominatu potiebantur, duos Commentariorum libros Xiphilino Constantinopolitano Patriarchæ dedicavit, quorum unum edidit in Nomocanonem Photii, & alterum in Canones variorum Conciliorum & Sanctorum Patrum.

CONCILIIUM LONDONIENSE

Ann. 1111.

1. Generale fuit Episcoporum totius regni Anglici, habitum sub Paschali Papa II. a quo etiam approbatum fuit, eique præsedit Archiepiscopus Anselmus Cantuarie seu Doroberniæ, quæ Primatum universæ Ecclesiæ Anglicanæ tenet.

Can. I. Statutum est, ne Episcopi secularium placitorum officium suscipiant; & ut non sicut Laici, sed ut personas religiosas decet, ordinatas vestes habeant: & ut

semper & ubique honestas personas habeant vestes conversationis suæ.

Can. II. Ut Archidiaconi sint Diaconi.

Hoc idem superius constitutum vide a Concilio Bituricensi anni 1031. can. 4.

Can. VII. Ut filii Presbyterorum non sint heredes Ecclesiarum patrum suorum.

Hoc idem statuitur c. Moyſes, & c. seq. 8. seq. 7. & c. ad extirpandas, & c. dilectus, de fil. Presbyt.

Can. XVI. Ne Ecclesia sacretur, donec provideantur necessaria & Presbytero & Ecclesia.

Hæc eadem decernuntur c. nemo Ecclesiam, de consecrat. dist. 1. ex Concilio Aurelian. III. & c. cum sicut, de consecr. Ecclesiæ.

Can. XXII. Ut fides inter virum & mulierem occulte & sine testibus de conjugio data, si ab altero negata fuerit, irrita habeatur.

Et post Tridentinum Canonem omnia clandestina matrimonia invalida sunt & irrita.

2. Can. XXIII. Ut crinini sic tondeantur, ut pars aurium appareat, & oculi non rogantur.

Canon iste ad laicos pertinet: de Clericis enim canone 12. istud Concilium jam providerat, ut Clerici patentes Coronas habeant. De laicis pariter decernit Concilium Rothomagensis anni 1096. Can. Nullus homo comam nutriat, sed sit tonsus: alioquin excommunicatur. Monet quippe Apostolus 1. Corinth. 11. Vir quidem, si comam nutriat, ignominia est ei; mulier vero, si comam nutriat, gloria est illi.

Can. XXVII. Ne quis illud nefarium negotium, quo hærenus in Anglia solebant homines sicut bruta animalia venditari, deinceps nullatenus facere presumat.

CONCILIIUM

LATERANENSE PRIMUM GENERALE,

sub Callisto secundo Pontifice anno 1123. habitum.

1. Quamvis generalis Synodus VIII. constituisset Can. 22. nemini Principum aut Potentium licere ingerere se Episcoporum electioni aut promotioni: quamvis etiam primus inter Christianos Imperator Constantinus in sua ad Episcopos qui Nicæna Synodo non interfuerant, epistola, quam referunt integram Theodoretus & Gelasius Cyzicenus, hanc auream & omnibus sæculis memorabilem sententiam circa Conciliorum auctoritatem tradidisset: *ὅτι ὅτι ἂν ἐν τοῖς ἀγίοις τῶν ἐπισκόπων συνέλιξε ἐπαρχίῳ, τὸ πρὸς δεῖον βῆσαν τὴν ἀναρχίαν ἐξῆν. Quidquid in sacris Episcoporum consensibus actum est, id omnes ad Dei consilium referri debet; nonnulli tamen Germaniæ Reges ac Imperatores a Constantini pietate degeneres, jura Episcopatum & Abbatiarum conferendarum sibi asserbant, & cum foedissimo ac simoniaci mercatu sacras dignitates venales habebant, ideoque indignissimos viros ad eas assumebant, unde nascebatur grandis morum & sacræ disciplinæ corruptela.*

2. Huic pesti Romani Pontifices ex officio conati sunt occurrere, atque omnium maxime Gregorius VII. dictus antea Hildebrandus. Cum enim post Damasi II. obitum, vacante Apostolica sede, Imperator Henricus, quem Itali secundo, Germani tertium hujus nominis recensent, delegisset Papam Brunonem Tullensium in Leucis Episcopum, eumque purpura Pontificali ornatum a se dimisisset, ut coram Cardinalium consensu se sisteret acceptandum, & ad supremam Sedem assumendum: cumque hic per Galliam iter ageret, atque ad Cluniacense Monasterium devenisset, in quo tunc versabatur Hildebrandus, correptus ab isto fuit, quod necdum a Romano Clero electus se pro Summo Pontifice gereret, ac si liceret a laico Principe supremæ in Ecclesia dignitatis apicem consequi. Addit Hildebrandus se id præstiturum, ut nec Imperator causam succentendi haberet, neque jura Ecclesiæ detrimentum paterentur. Bruno illius suavis purpuram exiit, & iter prosequitur, comitem secum adducens

Concilium Lateranense I. generale.

ducens Hildebrandus: cujus deinde opera & studio Bruno Romæ a Clero Summus Pontifex eligitur sub nomine Leonis noni, qui fuit pietate, prudentia, caritate, Ecclesiarum sollicitudine, ceterisque virtutibus tantum ad fastigium requisitus, eximius. Mirum est in tanta vitæ integritate ac innocentia quam fuerit in se ipsum rigidus & austerus, de quo ita scribit *ὁ ἄγιος* ei Leo Ostiensis. *Quandiu Roma remoratus est, omnibus tribus per hebdomadam diebus a Lateranensi Ecclesia usque Sanctum Petrum privato habitu nudisque pedibus cum duobus aut tribus Clericis noctu psallendo & orando pergebat.* Harum vero Basilicarum intervallum tria milliaria excedit.

3. Functo vita Leoni subrogatur Victor II. precibus facti Cardinalium Collegii apud Henricum Imperatorem expetit. Moritur paulo post Henricus, dedique operam Victor Pontifex, ut in Imperium eligeretur quinquennis hujus filius Henricus tertius, qui grandior factus Ecclesiæ Romanæ insensibilis evasit hostis. Mortuo subinde Victori successit Stephanus X. hunc excepit a Romano Clero sublectus Nicolaus II. quem rogante Clero Henricus approbavit, iste indicto in eade Lateranensi Concilio sanctionem edidit, quam refert Gratianus c. in nomine Domini, dist. 23. quæ jubet Romanum eligi Episcopum a Clero & populo urbis: sic tamen ut præsent Cardinales Episcopi, adhibitis aliis Cardinalibus Clericis atque ita reliquis cum populo Clerus ad consensum novæ electionis accedat, moxque ista subiungit: *Salvo debito honore & reverentia dilectissimi filii nostri Henrici, qui in presentia Rex habetur, & futurus Imperator Deo concedente speratur, sicut jam concessimus & successoribus illius, qui ab hac Apostolica sede personaliter jus hoc impetraverunt.* Veruntamen tam insigni privilegio ille ipse Henricus & ejus successores in animarum perniciem abutentes, indignissimosque viros per simoniam promoventes, & Ecclesiam infestis armis lace-rantes, perditissimosque Antipapas obtrudentes privilegio tanto excedere meruerunt. *Privilegium enim omnino meretur amittere, qui concessa sibi abutitur potestate c. privilegium, 12. q. 13. & c. taurum, s. verum, de privilegiis.* Nicolaum II. excepit Alexander II. Alexander Hildebrandus, dictus Gregorius VII. in Etruria humili loco & patre fabro natus, ingenii tamen & virtutum laude conspicuus. Hunc Henricus legitimis suffragiis Romæ electum approbavit, & aliquandiu impense coluit, sed subinde mutato in deteriora consilio atrocissime divexavit, eique Guibertum Ravennæ Archiepiscopum opposuit Pseudopapam, qui diu Ecclesiam laceravit sub legitimis Pontificibus Gregorio VII. Victore III. & Urbano II. Mortuus demum sub Paschali II. sed alios huic Antipapas schismatici Henriciani substituerunt.

4. Henricus III. schismaticum Imperatorem Gregorius VII. in Concilio Laterani habito anathemate percussit, subditoque illi populus subjectionis sacramento solvit. Quam iteravere sententiam adversus eundem, eique cognominem filium & successorem Henricum IV. insequentes Pontifices.

5. Prolate hujus sententiæ causæ multiplices fuere, primum usurpatio dignitatum & Prælaturarum Ecclesiæ, quas titulo investiture Imperatores conferebant. Deinde simonia, quia pretium pro Investituris istiusmodi exigebant. Postremo schisma & aperta rebellio, quia fidei, & terro Ecclesiasticæ & alias Ecclesiæ fidas provincias vastabant, & Antipapas factionibus & armis adversum legitimos Pontifices promovebant.

6. Henricus IV. paterne imitator nequitia, postquam Paschalem II. perfida dissimulatione in Vaticano veneratus est, ab eoque coronam sumpsit Imperii, eundem ex improviso capi iussit, & carcere inclusum dies multos detinuit: neque prius reddidit libertati quam extorserit præreptas sibi & patri Prælaturarum investiture, addito jurejurando. Paschalis vero recepta libertate Concilium in Laterano coegit, quo revocata est per vim extorta concessio, ipseque Henricus sacris omnibus interdicitur.

7. Henricus Paschalis demortui successorem Gelasium in Italiam cum validis copiis reverſus Roma exegit, & Burdinum Bracarenſem Archiepiscopum in Romanæ solium Ecclesiæ per vim obtrusit. Expulsus Gelasius in Galliam confugit, ibique diem clausit extremum. Denique unanimi Cardinalium consensione tam illorum qui Gelasium comitatis adhuc in Gallia versabantur, quam eorum qui in Italia consistant, Summus creatur Pontifex Guido Viennensis Archiepiscopus, cui Callisti secundi nomen traditum. Hic itatim Rhemis Concilium habuit, quo simul Henrico & Burdino anathema dictum: inde Romam concedens Burdinum tandem in suam redactum potestatem monasterio conclusit. Quin & Adalbertum Archiepiscopum Moguntinum Legatum suum per omnem Germaniam constituit, qui suo strenue defun-

gens munere, Episcopos & Principes pro tuenda Ecclesia in legitimis partes pellexit, & validissimum eduxit exercitum: qui cum haud procul ab Henrici copiis castra posuisset, configere paratus magno Dei factum est beneficio, ut communicatis hinc inde consiliis duodecim ex utroque exercitu Principibus electis de pace inunda sedulo actum fuerit, simulque conventum, profus esse extirpandum exitiale schisma, & expedandos esse ab Henrico ad Pontificem Legatos pacem suppliciter rogantes, quæ tandem generalis Concilii decreto firmetur. Assentitur Henricus, qui si detrectasset, ab omnibus se desertum iri, suaque omni ditione spoliantum prævidebat. Nihil vero jucundius Callisto, nihil Ecclesiæ conducibilis poterat accidere, quam ut extincto diuturno schismate, sedatisque atrocibus bellis, quibus Italia & Germania tot annis constagrarant, pax desideratissima succederet, atque ad Ecclesiæ unitatem Imperatores redirent.

8. Itaque nonum istud inter œcumenica Concilium convocatur anno millesimo centesimo vigesimo tertio, ut recte probat Gabriel Cossartus annot. ad hoc Concilium; non vero, ut scribit Baronius, antea præcedente. Sugerius, qui Abbas S. Dionysii huic interfecto Concilio, testatur, interfuisse trecentos amplius Episcopos præsentem Callisto, & Henrico non quidem præsentem, sed haud procul absente, ut ejus responſus si qua difficultas nasceretur, res citius & sedatis animis componi possent. Abbas Urspergensis ex alterius cujusdam testimonio scribit, quadringentos viginti sex Patres interfuisse. Itaque rem ultra modum augment Pandulfus in vita Callisti, & Onufrus ex illo, dum mille circiter Prælatos Concilio interfuisse referunt.

9. Hic fuerunt istæ pacis conditiones fancitæ, ut Imperator liberis Clericis & Monachis fineret Episcoporum & Abbatum electiones, & quæcunque Ecclesiis per ipsum, aut patrem, aut utriusque ministros & fautores ablata fuerant, restitueret. Pontifex vero concessit Henrico & successoribus ipsius, ut electi in Episcopos vel Abbates in terris Imperii regalia ab Imperatoribus sumere attingerentur, dum omnis abesse pecuniaria contributio ac simoniæ labes.

10. Hoc eodem Concilio provisum est de ferendis suppetiis Ecclesiis Orientis & Hispaniarum adversus Saracenos, & renovate sunt peccatorum remissiones ab Urbano secundo quondam indulta fidelibus, qui cruce in vestibus assuta Christiani rebus proficis contra Saracenos militando tulerint, eorumque domos & familias omniaque bona in Beati Petri & Romanæ Ecclesiæ protectione suscepta facta Synodus, ut qui ea distrahere vel auferre tempore sacræ expeditionis præsumpserint, excommunicationis pœna plectantur. Et qui crucem susceptam dimiserint, injungit, ut intra præstitutum tempus iter ad sacram expeditionem aggrediantur, subituri alioqui pœnam interdicti ab Ecclesiâ ingreſſu.

11. Ordinationes etiam, quas fecit Burdinus, & Pseu. doepiscopi per ipsum ordinati, a die, qua publico Ecclesiæ Romanæ judicio ille damnatus fuit, irritæ decernuntur.

Can. I. Sanctorum Patrum exempla sequentes, & officii nostri debita innovantes, ordinari quemquam per pecuniam in Ecclesia DEI vel promovendi auctoritate Sedis Apostolicæ modis omnibus prohibemus. Si quis vero in Ecclesia ordinationem vel promotionem taliter acquisierit, acquisita præstus careat dignitate.

12. Can. II. Nullus in Prepositum, nullus in Archidiaconum nisi Decanus nisi Presbyter, nullus in Archidiaconum nisi Diaconus ordinetur.

Superius vidimus hoc idem a Concilio Bituricensi statutum anno 1031. can. 4. & a Londoniensi anni 1103. can. 3. & a Tolosano anni 1119. cui eundem Papa Callistus præfedit can. 2. iisdem præstus verbis.

Can. VII. Nullus omnino Archidiaconus, aut Archidiaconus, aut Prepositus, vel Decanus animarum curas vel præbendas Ecclesiæ sine iudicio, vel consensu Episcopi alioque tribuat: immo sicut sanctis Canonibus constitutum est, cura & rerum Ecclesiasticarum dispensatio in Episcopi iudicio & potestate permaneat. Si quis vero contra hæc facere, aut potestatem ad Episcopum pertinentem sibi vendicare præsumpserit, ab Ecclesiâ liminibus arceatur.

Can. VIII. Ad hæc, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ possessiones quietas servare per Dei gratiam cupientes præcipimus, & sub distinctione anathematis interdiciamus, ne aliqua persona Beneventanæ Beati Petri civitatem presumat invadere aut violenter retinere. Si quis aliter præsumpserit, anathematis vinculo teneatur.

Can. IX.